

axiomaticas, quas modò recensuimus, statuunt, & totidem methodicas. Verùm hæc sententia non est simpliciter vera, si quidem velimus ἀκεβολογεῖν. Tres duntaxat sunt leges axiomaticæ, si spectemus axiomata necessaria affirmata; sed quia etiam axiomata necessaria sunt negata, item multa sunt contingentia, & verò non solum illa, sed etiam ista & hæc in disciplinis locum habent (illa quidem plurimum, ista & hæc interdum) necessarium est ut etiam aliæ sint præter illas tres. Has nos dicimus leges prudentiæ, ita ut hæc sit vera sententia: Leges axiomaticæ sunt vel sapientiæ, vel prudentiæ. Leges sapientiæ sunt, quæ in exquisitissimis tractationibus observantur, ut illæ tres modò dictæ. Leges axiomaticæ prudentiæ sunt, quæ moderantur axiomata necessaria negata, & contingentia. Hæc sunt anonymæ; quia scilicet non ita sunt excellentes, ut priores. Sunt autem duæ. 1. Axiomata necessaria negata etiam locum habent in disciplinis. 2. Axiomata vera contingentia per se etiam locum habent in disciplinis. Ratio hujus est: quia disciplinæ sunt cœlum rerum, ut ita dicam, rerum. Quales itaque sunt res, sive sint incomplexe, sive complexæ, tales debent esse disciplinæ. At res omnis est vera. Nam verum & ens convertuntur. Ergo & omnia axiomata in disciplinis erunt vera. Sed res vera est talis vel necessariò, vel contingenter. Ergo & sic se habebunt axiomata disciplinarum. Porrò res necessaria est talis vel necessitate positivâ, vel negativâ. Ergo & axiomata disciplinarum sunt talia. Ad extremum res contingens est talis vel per se, vel per accidens. Quæ per accidens est talis, non habet locum in disciplinâ; sed res contingens per se potest inibi habere locum. Sic v. g. est axioma necessarium negatum; Deus non est author peccati. Et hoc est theorema theologicum. Aut igitur in theologiâ docendum, aut non. Si hoc; theologia erit manca: quia res theologica ab illâ exulat. Si illud; obtinuimus quod intendimus. Excipis: affirmatio est mensura negationis. Rectè, inquam, sed ideo non excluditur negatio. Quid? Multa sunt ita comparata, ut potius negativè sint docenda, quam affirmativè. Sic & hoc axioma: Evangelium hominibus est odor vitæ ad vitam: in theologiâ proponitur, & tamen non est necessariò verum. Vide lib. 6. cap. 3. sed hæc (ut & antè protestati su-

Hh 5